DEO OPTIMO MAXIMO VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS IV. FEBRVARII,

M. IOANNE LE PREVOST, Doctore Medico, moderatore.

926

An Cephalææ Terebra?

CAPVT proprio aliarumque partium vitio laborat. Trunco corporis insidens trahit ab infernis quicquid tenuissimum est, cuius assiduis haustibus inebriatur. Concitatus humor vaporem in omnem cerebri substantiam expirat, quo protinùs offusa imbutaque per venas, arterias, cæcosque ductus, humori congeneres affectus promit. Collectus è pituitâ vapor, si sociam adsciscit putredinem & febrem excitat, lethargum inuehit, ἄσηπτος cum apyrexia soporem altum qui sæpe ingrauescens apoplexiam accersit. Bilis exustæ atrique humoris ἔκχρονος horrenda deliria concitat, mentem commouet, putrescens phrenitidem accendit, vehementiùs incalescens iracundia, iurgiis, truculento aspectu, insolenti rabie laborantes exercet. Membranis affixus diris cruciatibus eas configit, vibratione quadam ex interuallis dilaniat, quoties internarum necnon euidentium causarum vi cietur. Extinctus μώρωσιν parit & ἄνοιαν. Raptum in consensum à venenatâ corrupti seminis aurâ cerebrum virgines & viduas in furorem agit. Caue ne dæmonomaniam cum hysteromaniâ confundas.

PATHEMATVM, quæ altum caput malè habent, sæuissimum dolor est, violentæ alterationis aut solutæ vnitatis soboles. Παροξυσμοὺς tamen ὁμοειδεῖς non infligit; pulsatorius arterias, obtusus venas in interiorem cerebri substantiam demersas, punctorius meninges ferit. Cephalæa mollis duræque membranæ τόνος est σύντονος & obfirmatus, quem indigenæ humoris efferi malignique σεῖσις infert καὶ ἔκθυσις, dùm insultu perpetuo tentat & atterit membranarum vires, euertit tonum atque temperiem nec iis rarò labem inurit. Quos prehendit dolor ille, odêre lucem, fugiunt hominum consortium, ægrè ferunt strepitum & in rerum silentio ἄγρυπνοι solatium quæritantes cibos fastidiunt. Sed si comitantur tenebricosa vertigo, tarditas vocis manuumque stupor, apoplexiæ, epilepsiæ, aut lethargi periculum imminet. Facilè à cerebro in meninges, & ab his in cerebrum serpit contagio, quibus sympathia mirabilis intercedit. Propagata vtrinque Cephalææ causa in spinæ medullam manus aliquando tremore concutit. Dolore demùm fracti cerebro iam prauè affecto silentio & exolutione virium penè semianimes ac sepulti iacent, nisi morsu humoris acerrimo ψυχὴ fiat αἰσθητικωτέρα.

QVÆ nostræ saluti continenter inuigilat prudens opifex Natura de inutilis excretione magis quàm de eius quod apprimè vtile est, attractione sollicita videtur, sagax illius in recrementis vacuandis solertia, mirabilis organorum περιττωμάτων deferentium, excipientium, pellentium numerus. Retentis in cerebro superfluis vt liberior pateret exitus, varios ductus molita est, interiorem capitis partem conspicuis meatibus perforauit quibus crassiora ablegantur, ad fuliginum expirationem caluariam tribus distinxit suturis, sagittali, lambdoide, coronali, quæ situm formamque in omnibus similem non semper obtinent, capitis anterior proiectura deficiens σφαλαίας, posterior lambdoidem obliterat, si processus vterque deest, quæ supersunt duæ se se ad angulos rectos intersecant. Quibus calua densior aut ἀρραφὴς hi Cephalæâ torquentur miserrimè: Caput Æthiopum solidum & durum nullis fermè discretum suturis vt firmius est externisque iniuriis minùs expositum, sic ab internis promptè læditur, ὑγιεινότεροι δὲ οἱ πλείονας ῥαφὰς ἔχοντες.

VT corporis vniuersa compages εἰσπνοῆς & ἐκπνοῆς beneficio velut artificiosis quibusdam machinis ac flabellis salubriter ventilatur expurgaturque, sic præpedita humorum excrementorumque difflatio putredines, inflammationes, febres, dolores mouet. Purulenti ex pleuritide vel peripneumonia necnon ischiadici, pure autsero per patentiores diurno tepore cutis meatus liberiùs perflato aut sensim exhalante, vtriusque vellicantis acrimoniâ mitiùs feriuntur ac fodiuntur, nocturno verò frigore, dùm id minùs perspirabile redditur, in acerbos cruciatus recidunt. Quæuis abscessuum materia densiore loco coërcita ignem concipit, agit cuniculos, carnes & ossa ferali putredine depascit. Illic nouaculâ vel scapello opus est, neque naturæ id negotium quod eius vires excedit, committendum. In fissura cranij, θλάσει, infortunio aliisque fracturis quæ collecta sanies meninges syderat ac certâ morte funesta est, perfosso Terebrâ quamprimùm cranio feliciter exudat, quam certè si poroticis ante exsiccare tentas, compingis, fuliginis exitum prohibes, mortem acceleras. Infixum aculeo morsuque animantis ἰοβόλου parti virus, quod etiam quosuis perspicaces oculos fugit, ferè indomitum est, clanculum serpit in vitæ aut mentis arcem & vtramque diruit, nisi statim amplificato vulnere dira lues expiret.

CEPHALÆA ferum & contumax doloris genus omnes plerunque remediorum vires eludit. Fotibus, linimentis, irrigationibus non cicuratur. Venarum arteriarumque ponè aures & circùm tempora repentium sectione sæpe non mitescit, quas in malignis febribus aliquando tundere salutare est. Non pyroticis aut phœnigmis exasperandus dolor. Vnicum in apertione cranij, quam securè molitur Terebra, præsidium, ab eâque solâ, quæ maximè desideratur, speranda διαφόρησις. Generosum & fidentem arti suæ ac dexteræ medicum esse oportet non temerarium. Vt affectus leuiores arbitrio imperioque Naturæ subditos sinet, rebelles & peruicaces validioribus profligabit medicamentis nec semper aut peplio, aut scammoniatis & elleboro parcet, ita nec Terebræ in Cephalæâ quam diuturnitas intolerandam penéque immedicabilem fecit. Admouebit autem peritâ & intrepidâ manu illi parti quam dolor vrgebit magis, fronti, sincipiti, occipiti, temporibus, suturis. Sic restituetur insitum membranis robur & amica temperies, qui iugiter excruciat crudelis vapor quâ data porta prorumpet & exiliet foras, humorque superstes ventilatus, tenuiori ac ferociore sui parte discussâ, quàm citò desæuiet.

Ergo Cephalææ Terebra.

Proponebat Lutetiæ SIMON BOVLLOT Baiocensis. A. R. S. H. M. DC. XLIV.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Nicolas Matthieu.
M. Carolus du Pré.
M. Petrus Hommetz.

M. Iacobus Renault.
M. Nicolaus Langlois.
M. Claudius Chrestien.

M. Renatus Chartier, Med. R.
M. Georgius Arbault.
M. Carolus Bouuard Reg. à Cons. & eius d. prim. Med.